

debeat sufficiens pro sustentatione clerici iudicis arbitrio relinquitur pro foro externo. — Resp. II. Quodnam beneficium in specie debeat censi sufficiens pro honesta clerici beneficiarii sustentatione, nullibi in jure reperitur definitum, neque ob diversitatem casuum una certa regula statui potest: ac proinde istud pro foro externo relinqui debet arbitrio iudicis, paulo plus vel minus æstimandum, consideratis tamen considerandis; videlicet qualitate personarum, conditione locorum, temporumque diversitate. Ita Menochius de Arbitrar. judic. lib. II. cas. 226. n. 12. et seqq.; Barbosa part. III. de Offic. et potest. episc. allegat. 62. n. 41, et lib. III. Jur. Ecclesiast. univ. cap. XIII. n. 183; Flamin. Parisius de Resignat. benefic. lib. V. quæst. 6. n. 131; Gonzalez ad Reg. 8. cancell. gloss. 15. n. 39; Alfons. Hoieda Tractatum. tom. XV. tract. de Incompatibilit. benefic. part. I. c. 19. n. 22, Piasecius, part. II. Praxis episcop. cap. v. art. 3. n. 85. et alii. Ratio est, quia illa, quæ nec a jure definita sunt, neque ob diversitatem personarum, temporum, et locorum, aliarumque circumstantiarum, certa lege definiri possunt, non nisi prudenti iudicis arbitrio relinquenda sunt, arg. can. 1. et seqq. dist. 29. juncto textu aperto in l. 1. ff. de jure deliberand. et l. Continuus. § Cum ita ff. de Verbor. obligation. cum concordantiis. Sic autem fit in proposito; ergo.

224. Et hujus multiplex ratio. — Accedit: quia, ut inquit Glossa in c. Conquerente. § Sufficientia. de Cleric. non resident. plura in hac sufficientia, considerantur: puta, nobilitas, et scientia personæ; quia tales personæ majoribus redditibus sunt honorandæ, c. De multa. 28. § fin. h. t. Dignitas etiam consideranda est, ut l. Sed et si quid. § 1. ff. de Usufruct. ubi dicitur, sufficienter quempiam ali, et vestiri debere secundum ordinem, et dignitatem suam. Item attendi debet, ut clericus possit sufficere sibi et suis; atque insuper valeat hospitalitatem servare, et jura episcopalia solvere, cit. c. de Monachis. h. t. Talia enim plurim variantur juxta diversitatem personarum, locorum, ipsorumque beneficiorum: ac non raro sufficit uni, quod non sufficit alteri, can. Non cogantur. dist. 41. Minusque sufficit manenti extra vias communes, quam in viis publicis, ubi major hospitium, seu peregrinorum fratrum copia advenire solet Glossa in can. Clericus. 21. q. 1. § Necessitatem. in fin. His adde, quod debeat haberi ratio consuetudinis patriæ, seu loci:

in una enim regione potest videri beneficium sufficiens, quod in altera censeretur tenue, juxta varietatem pretii rerum ad victum necessariam. Menochius cit. cas. 216. n. 3. et 14; Piasecius, ubi supra, n. 86. Atque hoc ipsum est ampliandum ad diversitatem temporum, puta, abundantiam vel charitatis, belli vel pacis, ac hujusmodi. Nam de his omnibus, ac similibus nequit dari certa regula; ac proinde non nisi iudicis arbitrio erit determinandum, saltem pro foro externo.

225. Pro foro interno relinquitur id cujuslibet conscientia. — Et additur, « pro foro externo. » Nam pro foro interno relinquitur cujuslibet conscientia, ut Deum præ oculis habendo judicet, an ipsi unum beneficium sufficiat; recto corde advertens, quod Deum omnia inspicientem fallere non possit. Gonzalez ad Reg. 8. cancell. gloss. 15. n. 39; Piasecius d. cap. v. art. 3. n. 84; post Zechium de Benefic. cap. x. et alios: quamvis addat, quod tutior et communior sententia sit, ut istud remaneat iudicis arbitrio.

226. Ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficiorum, etiam computandæ sunt distributiones quotidianæ. — Existimat tamen Garcias part. II. de Beneficiis. cap. v. n. 321. cum aliis, ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficiorum pro honesta clerici sustentatione, etiam computandas esse distributiones quotidianas: quidquid Caputaquen. decis. 65. n. 3. part. I. et Flamin. Parisius de Resignat. benefic. lib. V. quæst. 6. n. 131. in oppositum sentire videantur.

227. Non autem bona patrimonialia clericorum. — Cæterum in hujusmodi sufficientia judicanda, non debere haberi rationem honorum patrimonialium clerici beneficiarii: merito censet Barbosa cit. allegat. 62. et Piasecius d. part. II. Praxis episcop. cap. v. art. 3. n. 86. allegans alios. Etenim potest clericus habens beneficium, et patrimonium, vivere de redditibus beneficiorum, juxta illud Apostoli. I. Corinth. ix. 13. Qui altari deserviunt, cum altari participant, cum similibus: atque patrimonium suum, fructusque ejus sibi reservare. Nam quis militat stipendiis suis unquam, uti loquitur idem sanctus apostolus, ibid. 7. et latæ probat Covarruvias, cap. 1. de Testament. n. 2 et seqq. solvens contraria: et esse communem doctorum sententiam, inquit Piasecius cit. n. 86. allegans alios.

228. Beneficia de se compatibilia, quæ. — Quæritur IV. Quæ beneficia censeantur de se compatibilia, vel incompatibilia? Resp. I. Illa

beneficia censeantur de se compatibilia, quæ vel ex jure communi, vel ex antiqua consuetudine, aut particulari statuto, seu fundatione, simul obtineri, atque retineri possunt. Talia imprimis sunt beneficia simplicia, non requirentia personalem residentiam; vel quorum unum requirit residentiam, alterum vero non. Atque istud procedit indistincte, sive beneficia talia simplicia existant in diversis ecclesiis, sive in eadem: dummodo cæterum non sint uniformia, seu ejusdem omnino rationis, et obligationis personalis.

229 et 230. Referuntur horum exempla. Canonice Germaniæ, qui ex antiquissima consuetudine non requirunt residentiam majoris partis anni, de se non sunt beneficia incompatibilia. — Deinde beneficia de se compatibilia censeantur, quæ in diversis ecclesiis existunt, et nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Layman, lib. IV. Theol. mor. tract. II. cap. viii. n. 6 et 7. Ubi proinde is cit. n. 6. et post ipsum Pirhing h. t. n. 132. advertit, quod quidem duo canonicatus diversarum ecclesiarum, in quibus observatur Decretum concilii Tridentini, sess. 24. cap. xii. de Reform. injungens canonicis perpetuam residentiam, demptis duobus, aut tribus mensibus cujuslibet anni, de se sint incompatibiles: quia tamen in nonnullis Germaniæ cathedralibus ecclesiis, ex immemoriali consuetudine hactenus retenta, non requiritur residentia totius anni, nec majoris partis ipsius, sed sufficit residentia sex, quinque, aut quatuor, vel trium saltem mensium, tales canonicatus, seu præbendæ memoratarum ecclesiarum inter beneficia de se incompatibilia non debeant computari; cum non requirant residentiam incompatibilem, sed talem duntaxat, cui utriusque satisfieri potest, residendo præscriptis mensibus in singulis ecclesiis. Additur tamen, « inter beneficia de se incompatibilia, » etc. Nam si alter canonicatus se solo sufficeret ad honestam canonicam sustentationem, aliunde consurgeret ipsorum incompatibilitas, conformiter dictis supra n. 214. et seqq. Tertio beneficia compatibilia in eadem ecclesia censeantur, quæ difformia sunt; ut puta, præpositura, et simplex canonicatus. Qualia proinde, cum utriusque simul serviri valent, etiam simul retineri possunt, arg. cap. 1. de Consuetud. in 6. junctis dictis supra n. 210. Nisi forsitan alicujus ecclesiæ specialis constitutio, aut consuetudo repugnet. Layman, loc. cit. n. 7.

231 et 232. Beneficia de se incompatibilia, quæ? Et horum exempla. — Resp. II. Beneficia de se incompatibilia (id est, abstrahendo ab eo, quod unum eorum ad honestam clerici sustentationem sufficiat) sunt illa, quæ vel ex jure naturali, divino, aut ecclesiastico, vel saltem ex consuetudine, statuto, sive fundatione continuam, vel aliunde incompatibilem residentiam personalem postulant. Talia sunt duo episcopatus, duæ abbatia, duæ parochiæ, duæ perpetuæ vicariæ, et cætera beneficia curata; utpote quæ jure naturali, divino, ac ecclesiastico obligant ad perpetuam residentiam, juxta dicta superius lit. præced. § 3. n. 57. et seqq. Deinde intra beneficia de se incompatibilia, spectato rigore juris communis (quod additur ob dicta n. 229), comprehenduntur duæ dignitates, personalis, canonicatus, aut duo officia; utpote spectato jure canonico perpetuam personalem residentiam requirentia, siquæ incompatibilia, c. Ad hæc. 13. et c. Præterea. 14. et c. Cum non ignores. 15. et c. De multa. 28. h. t. juncto concilio Tridentino sess. 24. cap. xii. de Reform. Idemque dicendum de aliis beneficiis, etiam simplicibus, quæ existunt in diversis ecclesiis, atque ex consuetudine, statuto, aut fundatione speciali, personalem residentiam requirunt: nam hoc ipso, quod nemo possit simul in distinctis locis existere, ibique residere, seu inservire; necesse est, talia beneficia de se esse incompatibilia. Quod ultimum ut melius intelligatur.

233. Beneficia sub eodem tecto, quæ dicantur? — Quæritur VII. Quænam beneficia intelligantur esse sub eodem tecto, simulque uniformia, et incompatibilia? Resp. I. « Beneficia sub eodem tecto » dicuntur ea, quæ existunt intra eandem ecclesiam: hoc est, vel in ipsa ecclesia, atque intra parietes ipsius sunt: vel saltem intra claustrum, aut cæmeterium contiguum ipsius continentur. Ita Barbosa part. III. de Offic. et potest. episc. allegat. 62. n. 15. Garcias, part. II. cap. v. n. 259; Pirhing, h. t. n. 24. Qui tamen addunt, secus esse dicendum, quando beneficium est situm in capella, vel cæmeterio non contiguo principali ecclesiæ, sed extra; tunc enim non censetur esse sub eodem tecto ecclesiæ principalis, arg. cap. un. de Consecrat. Eccles. in 6. ubi polluta ecclesia polluitur cæmeterium illi contiguum, sed non remotum.

234. Beneficia uniformia sub eodem tecto,

quæ? — Resp. II. Beneficia sub eodem tecto alia dicuntur uniformia, seu similia: alia difformia, seu dissimilia. Et quidem « Beneficia uniformia sub eodem tecto » dicuntur illa, quæ in eadem ecclesia sunt instituta ad eundem finem; adeo, ut habeant idem prorsus onus, et officium eodem tempore peragendum. Ita Piasecius part. II. *Praxis Episcopalis*. cap. v. art. 3. n. 73; Pirhing h. t. n. 24. Talia sunt duo canonicatus, duæ portiones, duo personatus, duo præstimoniam, duæ capellaniam; prout exemplificat Azorius, part. II. lib. VI. cap. xi. quæst. 1.

235. *Et an talia sint duæ capellaniam in eadem ecclesia.* — Intellige tamen istud ultimum de duabus capellaniam, quæ sunt ejusdem prorsus rationis, et obligationis personalis. Alioquin enim, si fuerint diversæ rationis, distinctique oneris (prout sunt duæ capellaniam in duobus altaribus ejusdem ecclesiam fundatæ, cum onere, ut in uno altari bis v. g. in hebdomada celebretur, in altero ter aliis distinctis diebus) tunc eæ non forent beneficia uniformia sub eodem tecto, nec proinde incompatibilia. Navarrus, consil. 16. *de Præbend.*; Garcias, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 225. et 229; Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 10. n. 33 et 35. allegans plures alios, ac multiplicem decisionem Rotæ. Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* q. 1. n. 128; Layman, cit. lib. IV. *Tract.* n. cap. VIII. n. 7. et alii. Ratio est, quia, licet uno nomine generali capellaniam appellentur, cum tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis altaribus peragenda: re ipsa non sunt beneficia uniformia sub eodem tecto, sed difformia.

236. *Ad uniformitatem beneficii sub eodem tecto, non sufficit identitas nominis.* — Nec obstat identitas nominis, seu quod simili nomine capellaniam appellentur. Resp. enim, ad hoc, ut aliqua beneficia dicantur uniformia sub eodem tecto, non sufficere, quod uno nomine generali appellentur: alioquin enim omnia beneficia simplicia uniformia, quia eodem nomine *Beneficii simplicis* nominantur. Nam ad uniformitatem beneficiorum ulterius requiritur, ut eorum munera, atque onera naturalia sint uniformia, et similia. Navarrus cit. consil. 16. *de Præbend.* n. 2. et alii proxime allegati.

237. *Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto, quæ?* — Resp. III. « Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto, » contrario modo declarantur; nempe, quod

quidem intra parietes ejusdem ecclesiam consistent, non tamen ad eundem finem, sive officium eodem tempore peragendum ordinentur: ut sunt juxta Azorium, ubi supra, unus canonicatus et portio, dignitas aliqua et canonicatus, personatus et beneficium curatum, ac hujusmodi.

238. *Horum duo possunt absque dispensatione apostolica simul retineri, quando unum non sufficit ad honestam sustentationem clerici. Et an ad hoc requiratur dispensatio episcopi, etc.?*

— Resp. IV. Duo beneficia difformia sub eodem tecto, quando ad honestam clerici sustentationem unum non sufficit, possunt absque dispensatione apostolica simul obtineri, et retineri. Ita communis doctorum: cum hoc tamen discrimine, quod nonnulli eorum velint, ad istud saltem requiri dispensationem episcopi, vel statutum, aut consuetudinem illius ecclesiam; in qua existunt talia beneficia difformia; cæteri vero arbitrentur, ejusmodi beneficia esse compatibilia de jure communi: prout videre est apud Garciam, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 231. et seqq. Ubi, postquam pro priori opinione allegasset Glossam in cap. i. §. *Nisi unicum, de Consuetud.* in 6. pluresque alios: tandem n. 235. post Abbatem consil. 96. part. II. Navarrum consil. 28. *de Præbend.* Rotam in Cesanatem canonicatus, 19 februar. 1590. coram Gipsio, Rebutum pluresque alios, concludit beneficia hujusmodi de jure communi esse compatibilia, nisi alias sint sibi repugnantia ratione residentiam, seu servitii. Nam non video (inquit Garcias, ibid. n. 237.) textum aliquem, ex quo contraria sententia probetur. Atque huic posteriori sententiam etiam favet Fagnanus c. *Cum iam dudum*, n. 49. h. t. et Pirhing eod. n. 186.

239. *Probatur, duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul retineri, etc.* — Et quidem duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul obtineri, atque retineri, ubi unum non sufficit ad honestam clericalem sustentationem, etiam sine dispensatione Papæ (quidquid sit de necessitate dispensationis episcopalis, statuti, aut consuetudinis ecclesiam, circa quod controvertunt doctores, ut proxime dictum) desumitur ex c. *Eum te*, 7. *de Rescript.* ubi absolute dicitur, quod aliquis fuerit archidiaconus, et canonicus ejusdem ecclesiam, nulla facta mentione dispensationis apostolicæ, sive episcopalis, aut statuti, vel consuetudinis ecclesiam. Idipsum, et quidem fortius, probatur ex cap. i. *de Con-*

consuetud. in 6. ubi circa finem decernitur, « quod nulli liceat de cætero, nisi unum personatum, vel dignitatem, aut præposituram sive administrationem, vel officium perpetuum, quocunque nomine censeantur, cum præbenda in simul absque dispensatione Sedis apostolicæ in eadem ecclesia obtinere, vel jam oblenta tenere. » Unde ponderando ly, « nisi unum; » et quia exceptio firmat regulam in oppositum, L. *Quæsitum*, 12. §. *Idem respondit*, 43. §. *Denique*, ff. *de Fundo instructo*. cum similibus: inferre licet, quod una cum præbenda, sive canonicatu, possit in eadem ecclesia, etiam absque alia dispensatione Sedis apostolicæ, simul obtineri unus personatus, dignitas, aut præpositura, etc. dummodo ita requiratur ad honestam sustentationem clericalem.

240. *Secus dicendum de duobus beneficiis uniformibus sub eodem tecto.* — Resp. V. Duo tamen beneficia uniformia sub eodem tecto, puta, duos canonicatus, duas portiones, aut alia duo uniformia beneficia, etiam simplicia in eadem ecclesia nemo, potest simul obtinere, atque retinere. Ita Garcias, part. II. *Benefic.* cap. v. n. 182; Azorius part. I. lib. VI. cap. xi. quæst. 1; Flamin. Parisius lib. III. *de Resignat. beneficior.* quæst. 1. n. 182. et 121; card. Tuschus, Litt. B. concl. 66. n. 9 et 10; Pirhing, h. t. n. 131. et communis aliorum. Idque desumitur ex c. *De multa*, 28. §. *Hoc idem de Præbend.* ubi in concilio generali statutum legitur: « Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum; addentes ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. » Concordat c. *Litteras*, 9. *de Concession. Præbend.* ubi rejicitur allegata consuetudo generalis, quod unus in eadem ecclesia plures habeat præbendas: atque per assecutionem secundæ præbendæ, prior ipso jure vacare dignoscitur; prout amplius declarant Glossa, et doctores ibid. Accedit Clem. ult. h. t. ubi virtute mandati apostolici adeptus in ecclesia dignitatem quampiam, puta, archidiaconatum, habentem annexam præbendam, perdit primam præbendam, quam habebat in eadem ecclesia, veluti vacantem ipso jure.

241. *Et quæ ratio disparitatis?* — Accedit ratio, simulque disparitas inter hanc, et priorem conclusionem, quia, si quis haberet duo beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duos canonicatus, minueretur numerus

ministerorum ecclesiam, simulque cultus divinus: nam unus, idemque, non posset stare loco duorum, v. g. canonicorum in choro, vel capitulo; sicque detraheretur et numero ministrantium, et cultui divino, ut patet. Secus accidit in beneficiis difformibus; puta, si quis habet in eadem ecclesia simul canonicatum, et dignitatem: nam, quia ipse ista habet diverso jure, recte inter dignitates supplet numerum dignitatum, et inter Canonicos numerum canonicorum; potestque modo hujus, modo illius negotia resque administrando, utrique obligationi suæ satisfacere, neque indiget substituto aliquo. Abbas c. *Cum olim*, n. 6. *de Sentent. et re judicat.* Garcias, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 245. Idemque (servata proportione) accidit in aliis beneficiis difformibus, vel non difformibus sub eodem tecto, uti patebit consideranti.

242. *Non valet consuetudo retinendi duo beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis.* — Ampliatur primo data conclusio, ut non valeat consuetudo contraria; videlicet, retinendi duo beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis, cit. c. *Litteras de Concessio. præbend.* ac notat Glossa ibid. §. *Ex consuetudine*, asserens, quod hæc consuetudo potius censenda sit corruptela; Abbas c. *Extirpandæ*, in *Repetit.* §. *Qui vero*, n. 41. h. t.; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 124; Azorius cit. cap. xi. quæst. 1; Garcias, d. part. II. cap. v. n. 180. cum pluribus aliis, quos citat.

243. *Neque in his simul habendis potest dispensare episcopus.* — Ampliatur secundo, ut episcopus in duobus beneficiis uniformibus, v. g. duabus canoniis ejusdem ecclesiam simul habendis, dispensare non valeat. Glossa fin. in Clement. ult. h. t.; Joan. Andreas c. *Litteras* n. 3. et Abbas, n. 2 et 3. *de Concession. præbend.* juncto textu ibid.; Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 12; Azorius, cit. cap. ii. quæst. 4; Flamin. Parisius, loc. cit. n. 123; Garcias, n. 185, allegans alios. Quia episcopus non potest dispensare contra sacros canones, nisi in casibus sibi a jure concessis, c. *Dilectus*, 15. juncta Glossa §. *Permissa*, et Abbate ibid. n. 3. *de Temporib. ordinat.*

244. *Et dispensatus per Papam ad habenda simul duo beneficia, nequit duo uniformia obtinere in eadem ecclesia, etc. Jura magis abhorrent, ut quis in eadem ecclesia obtineat duo beneficia uniformia, quam in diversis.* — Am-

pliatur tertio, ut etiam per Papam dispensatus ad habenda simul duo beneficia, nequaquam censeatur dispensatus, ut duo uniformia, v. g. duos canonicatus, obtineat in eadem ecclesia nisi istud expressum fuerit. Abbas c. *De multa*. n. 4. h. t.; Azorius cit. cap. II. quæst. 1; Pirhing, h. t., n. 131; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 15 et 16; Flamin. Parisius, d. lib. III. cap. I. n. 123, allegans Petrum de Acharrano c. *Permittimus. de Ætate et qualitat.*, cardinalem consil. 53. et alios, cum communi. Siquidem jura magis abhorrent, ut in eadem ecclesia, et sic sub eodem tecto, quis obtineat duo beneficia uniformia, v. g. duas præbendas, quam in ecclesiis diversis; uti patet ex juribus n. 240. allegatis, ac notat Glossa fin. in Clem. ult. h. t. Abbas c. *Litteras*. n. 2. et Fagnanus, ibid. n. 6. et 7. *de Concession. præbend.*; Garcias, d. cap. v. n. 190. citans Rotam in Toletana capellanæ de Baraias. 15 februar. 1591. coram dom. Pamphilio; Flamin. Parisius cit. lib. III. quæst. 1, n. 121; Barbosa, Azorius, ubi supra, et alii.

§

DE DISPENSATIONE, ET CONSUECUDINE CIRCA PLURALITATEM BENEFICIORUM.

243. *Papam posse dispensare super pluralitate beneficiorum, cum id ratio postulaverit, certum est.* — Quæritur I. Utrum Papa, quibusque ex causis, possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Resp. I. Certum est, quod ex causa rationabili, et legitima possit Papa dispensare super pluralitate beneficiorum simul retinendorum, etiamsi ea cæteris forent incompatibilia. Textus est in c. *De multa*. 28. § fin. h. t. ubi dicitur: « Circa sublimes tamen et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari. » Accedit ratio: quia Papa in beneficiis plenissimam habet potestatem, plenariamque dispositionem, cap. II. *de Præbend.* in 3. et Clem. *Si duobus*. 1. § fin. *Ut lite pendente*, etc. eo quod beneficia de jure positivo ecclesiastico sint introducta, et singulæ Ecclesiæ singulis presbyteris divisæ, can. *Ecclesias*. 13. q. 1. Unde, quia Papa secundum plenitudinem potestatis, de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit*. 4. *de Concession. præbend.* dubium non

est, quin circa pluralitatem beneficiorum cum ratio postulaverit, dispensare valeat.

246. *Quando Papa dispensat Motu proprio, præsumitur subesse justam causam dispensandi: alias secus.* — Additur notanter, « cum ratio postulaverit. » Licet enim in illis, quæ sunt juris positivi humani, Papa possit valide dispensare, etiam sine causa: quia tamen dispensatio facta sine causa, non meretur dici dispensatio, sed potius dissipatio, ut inquit sanctus Bernardus lib. III. *de Considerat.* paulo ante fin. Hinc quando Papa dispensat, motu proprio, semper præsumitur, quod subsit justa causa dispensandi, atque ex legitima causa dispensaverit Pontifex, can. *si Papa*, dist. 40; ac notat Abbas c. *In causis*. n. 2. *de Sentent. et re judicat.*, Felinus c. *Ad aures* n. 7. *de Rescript.*, Piascius part. II. *Praxis episcopal.* cap. v. art. 3. n. 79. et alii. Secus dicendum, quando Papa dispensaret ad instantiam partis: quia tunc subintelligeretur conditio illa: « Si preces veritate nitantur, » juxta textum expressum c. *Ex parte*. 2. *de Rescript.* ac proinde non subsisteret dispensatio pontificia, veluti sub aut obreptiis obtenta, c. *Sedes*. 15. et c. *Super litteris*. 20. *de Rescript.* cum concordantibus. His addenda superioribus § præced. n. 218. 219. et 220.

247 et 248. *Causæ legitimæ dispensandi in pluralitate beneficiorum, sunt tres. Et quæ?* — Resp. II. Causa legitima dispensandi in pluralitate beneficiorum communiter triplex assignari solet; videlicet, necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, ac evidens prærogativa meritorum. Ita Abbas in c. *De multa*. n. 7, h. t. et c. *Extirpandæ*. in *Repetit.* § *Qui vero*. n. 34. eod.; Azorius, part. II. lib. VI. cap. XII. n. 6; Layman, lib. IV. *Theol. moral.* tract. II. cap. VIII. n. 2. et alii. Idemque desumitur ex can. *Tali conjugio*. 1. q. 7. ubi in simili habetur, quosdam ecclesiasticis ordinibus non esse applicandos, « nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet. »

Et quidem « Ecclesiæ necessitas » quandoque postulat, ut uni plura beneficia conferantur, si est penuria sacerdotum, aut aliorum idoneorum ministrorum Ecclesiæ; puta, in locis hæresi infectis. Utilitas vero, quando clericus sua prudentia, auctoritate seu potentia, plus communi reipublicæ christianæ bono, atque ecclesiarum commodis profuturus videtur, quam plures alii. Tandem « evidens meritorum prærogativa » beneficiorum,

utpote doctrina, consiliis, scripturis, aut hujusmodi, de Ecclesia valde meritum, promoveri potest ad plurium beneficiorum emolumenta tum spiritualia, tum temporalia dispensative recipienda, juxta illud Apostoli I ad *Timoth.* v. 17. *Qui bene præsumunt presbyteri, duplici honore digni habeantur* (id est, munerum largitione, ut interpretatur S. Hieronymus cap. XV. *Matth.*) *maxime, qui laborant in verbo, et doctrina.* Unde et c. *De multa*. 28. § fin. h. t. dicitur, « quod sublimes et litteratæ personæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, » etc.

249. *Justa causa dispensandi in pluralitate beneficiorum ultra necessariam sustentationem, non est, propositum erogandi superfluos redditus in pias causas.* — Resp. III. Nihilominus justa causa dispensandi in pluralitate beneficiorum, ac præsertim hæc simul retinendi ultra necessariam vitæ sustentationem, non est, quod clericus propositum habeat redditus superfluos in pias causas erogandi. Ita Azorius, part. II. lib. VI. cap. XII. quæst. 3. et Layman, lib. IV. tract. II. cap. VIII. n. 2. vers. *Illud vero*. allegans communem, contra cardinalem in Clem. *Gratiæ de Rescript.* et Navarrum cap. XXV. *Manual.* n. 128. Ratio est, quia, ut justa subsit causa dispensandi atque retinendi pluralitate beneficiorum, præsertim ultra necessariam vitæ sustentationem, etiam requiritur, ut aliæ deformitates tollantur, vel saltem æquali utilitate publica coonestentur; videlicet, subtractio alimentations respectu aliorum clericorum, Ecclesiæ damnum ob absentiam beneficiarii, cultusque divini diminutio, ac hujusmodi; et notat Layman, loc. cit. Tales autem deformitates non tolluntur, neque coonestantur per solum propositum dandi superflua in pias causas, nisi subsit alia gravior causa, præsertim publica. Et hinc sanctus Carolus Borromæus ab Ecclesia universali pie laudatur, quod ecclesiasticos proventus, quibus a Pio IV. avunculo suo copiose fuerat cumulatus, sponte dimiserit: nonnullis retentis, quibus ad proprios usus, et egenorum necessitate utebatur; uti habetur in lectionibus *Breviarii Romani*, die Festo ipsius, seu quarto novembris.

250. *Rescripta, atque dispensationes super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, stricte interpretari debent. Dispensatio est vulnus juris.* — Quæritur II. Quomodo intelligi debeat dispensatio facta super beneficiis, ac præsertim super pluralitate ipsorum? Resp. I. Res-

cripta, seu Litteræ Apostolicæ, atque dispensationes super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, stricte interpretari debent: nec extendi ultra proprietatem verborum. Ita communis, tum quia generaliter loquendo, istud procedit de cæteris rescriptis ad beneficia, per textum expressum in c. *Quamvis plenissima*. 4. *de Præbend.* in 6. ibi: « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda; litteræ tamen super obtinendis beneficiis impetratæ debent, cum sint ambitiosæ, restringi: » estque ex professo dictum supra lib. I. tit. III. *De Rescriptis*. § 3. n. 126. 128. et 129; tum quia dispensatio, est vulnus juris: siquidem per eam Jus commune vulneratur, can. *Ipsa pietas*. 23. q. 4. Barbosa part. II. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 33. num. 7. et alii. Cum igitur omnis recessus a jure censeatur odiosus, et nequaquam trahendus ad consequentiam, juxta reg. 28. jur. in 6. etiam dispensationes, v. g. super beneficiis, eorumque pluralitate, sunt odiosæ, ac stricte interpretandæ; ut cap. I. § fin. *de Filiis presbyter.* in 6. Ubi loquendo de dispensatione facta cum illegitimo ad obtinendum beneficium, dicitur: « Quam exorbitantem a jure oportet, veluti odiosam, restringi, » cum similibus. Proinde

251. *Dispensatus super defectu, ut possit ad beneficium promoveri, non potest nisi unicum beneficium, vi talis dispensationis, obtinere. Adeo, ut nec successive possit duo consequi.* — Resp. II. Si cum aliquo dispensatum fuerit, quod non obstante defectu aliquo, v. g. natalium, possit ad beneficium, etiamsi curam habeat animarum, promoveri; non potest is prætextu talis dispensationis, nisi unicum beneficium obtinere. Textus est expressus in cit. cap. I. § fin. *de Filiis presbyter.* in 6. addita ratione proxime relata, quia nimirum talis dispensatio est a jure exorbitans, sicque debet veluti odiosa restringi: ac proinde virtute ipsius, non potest quis duo beneficia in simul obtinere, prout loquitur Summarium ibid. Quinimo, ut notat Ancharanus ibid. n. 3. vers. *Quæro dicitur*, post Archidiaconum; Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 45. n. 36. post Cardos, in *Praxi Judicium*. 7. *Dispensatio*. n. 19; Pirhing tit. *de Filiis presbyt.* n. 24. dispensatus a Papa, ut possit habere unum beneficium curatum, non poterit vi talis dispensationis etiam successive obtinere duo: adeo, ut si unum fuerit consecutus, non possit eo dimisso obtinere secundum. Siquidem per